



# Disputatio juridica inauguralis de sententiis

<https://hdl.handle.net/1874/345778>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
D E

SENTENTIIS,

Q U A M,  
AUSPICE DEO OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri  
Academia Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissima  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini subjecit*

HENRICUS HEYCOP, ULTRAJECT.

*Ad diem 9. MAJI, hora locoque soliti.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc lcc xciii.

*Consultissimis, Amplissimis,*

V I R I S

D. JOHANNI HEYCOP, J. U. D.  
& Curiae Provincialis Ultrajectinae Ad-  
vocato, Fratri & studiorum fautori,  
parentis instar colendo.

D. MAXIMILIANO BREJERO, J. U. D.  
Reno-Trajectinae Reipublicae Sena-  
tori ac Scabino, avunculo, multis ob-  
servantiae nominibus ac summo hono-  
re prosequendo.

D. JOHANNI HEYCOP, J. U. D.  
apud Amstelodamenses rei maritimae  
Prætori, agnato omni studio ac bene-  
volentia amplectendo.

*Hasce Theses Inaugurales  
nec non semet ipsum*

offert & inscribit

HENRICUS HEYCOP.

*Auctor.*



# DISPUTATIO JURIDICA

I N A U G U R A L I S,

D E

## S E N T E N T I I S.

### T H E S I S I.



Uspicatur, & pro debili meæ rationis face perlustratur sententiarum materiam, visum fuit, antequam ipsam definitionem aggrediar, pauca quædam, quæ ad subsequendum notitiam plenioribus nobis patefaciant viam atque aditum, prænotare. Ne (ut scribit Cajus Jctus in l. 1. ff. de orig. jur.) *omissis initis, atque origine non bene repetita, illotis, ut ita dixerim, manibus materiam interpretationis protinus tractemus.* In eo autem, initium rei cujusque partem esse potissimum, consentiunt eruditi ac unanimiter conspirant philosophi. Quod & haud ineleganter attestatur Sulmonensis vates, dum canit hunc in modum,

*Dimidium facti, qui bene cepit, habet:*

Cui non minus elegantem atque politam addit rationem Aristoteles, ait enim *lib. 5. polit. cap. 4. ἐν ἀρχῇ γίνεται τὸ ἀναίτητον.* Quapropter, cum tantum virium veris ac solidis inesse principiis affirmarunt constanter omnium ætatum viri sapientes, non abs re fore opinor principium ab ipsa ætymologia deducere: exemplo Ulpiani in l. 1. ff. de 7. & 7. nec non variorum in jure textuum §. 2. Inst. & l. 1. ff. de furt. l. 239. §. 1. ff. de V. S. l. 1. §. 1. ff. de jur. delib. l. 35. §. 1. ff. de mort. c. donat. &c. Sententia itaque originem suam ducit



a verbo sentio, quod iterum a sensu, quem duplicem esse notat Scaccias *tractat. de sentent. Gloss. 14. quest. 1.* interiore vel exteriorem. Nos autem non exteriorem, sed interiore hic contemplamur. Dicta sententia ex eo, quod iudex, secundum quod sentit, declarat, definit, ac lites, & dubia inter partes litigantes determinat. Græcis dicitur *Δίκασμα* ex præpositione *Δι*, per & *th. νόστος*, mens, animus, quia iudicem in dicendis sententiis deliberato ac perpenso animo procedere oportet. Deinde quia carens mente non potest dicere sententiam *l. 12. §. 2. ff. de jud.*

## I I.

Perspecta obiter ætymologia quid hoc indigitatum velit vocabulum despiciamus, ut hujus vocis genuinus sensus melius eruatur. Accipiturque variis modis; aliquando pro eo, quod verba sonant. Cic. de Senect. cap. 17. *non enim viribus, aut velocitate, aut celeritate corporum res magna geruntur: sed consilio, auctoritate, sententia.* Aliquando pro lumine orationis, hoc est, pro clausula, quæ breviter insigne aliquid ostendit. Cic. lib. 4. ad Herenn. *Sententia est oratio sumpta de vita, qua aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita, ostendit breviter; hoc modo, difficile est primum virtutem revereri, qui semper secunda fortuna sit usus.* Aliquando pro opinione ac sensus significatione, ut in *l. 1. ff. l. 8. C. qui test. fac. poss. l. 32. ff. de damn. inf. Wesemb. in rubr. ff. de re jud. Cic. Acad. quest. lib. 4. Qui primum quemquam jurare ex animi sui sententia voluerunt.* Curt. lib. 6. cap. 4. *litteras Nabarzanis Alexander acceperat, quarum sententia erat hæc: se Dario non fuisse inimicum.* Sæpiissime pro judiciali pronuntiatione cum ex lege, vel bono, & æquo judicatur: qui sensus præsentis tractationi maxime consentaneus, & describitur *ultima iudicis de lite, sive causa controversa definitio, continens absolutionem rei, vel condemnationem actoris aut rei. l. 1. ff. de re jud. l. 13. §. 2. l. 19. §. 1. ff. de recept. q. arb. recep. §. 2. Inst. de off. jud. dixi absolutionem vel condemnationem continens, quoniam his duobus modis lis terminatur d. l. 1. neque potest dici sententia, quæ non absolvit aut condemnat*



demnat *l. 3. C. de sent. Perez. ad tit. C. eod. n. 24.* nec tamen opus esse cum Zafio ad *d. l. 1.* putamus, ut iudex præcise illis verbis *absolvo, condemno* utatur, sed sufficere si aliquo æquipollenti utatur. *l. 5. §. 1. l. 59. ff. de re jud. Duar. ad d. l. 59. Trentl. select. disput. vol. 2. disput. 23. tb. 2. Zoef. ad tit. ff. de re jud. n. 97. Matth. de jud. disp. 11. tb. 51.*

## I I I.

Sententia autem judicialis duplex est alia definitiva, alia interlocutoria. Definitiva est illa ultima pronuntiatio iudicis, qua tota controversia deciditur. Interlocutoria, (quæ & interlocutio dicitur in *rubr. ff. de re jud. & C. de sent. & interl.* ac improprie sententiæ nomine venit) est pronuntiatio iudicis de plano, in exordio, mediove litis super aliquo incidenti facta, principale negotium non plane determinans, sed ad litis progressum spectans *l. 7. 9. C. de sentent. arg. l. 1. §. 1. ff. de const. Princ.* differtque a sententia definitiva in eo, 1. quod illa recipiat appellationem, secus res se habet in interlocutoria. *l. penult. C. quor. appell. non recip.* ne lites sint immortales, ac per frivolas appellationes lites longius protrahantur. 2. quod semel lata definitiva corrigi, mutari vel emendari non possit *l. 62. ff. de re jud. l. 15. C. de pæn. contra in interlocutoria l. 14. ff. de re jud. & ibid. Bartul.* 3. quod condemnatus per sententiam definitivam in aliquo crimine fiat infamis *l. 1. l. 4. §. 6. ff. de his, qui not. inf. l. 7. ff. de publ. jud.* sed per interlocutoriam nunquam *arg. l. 13. §. 6. ff. de his, q. not. inf.* Non omnium tamen interlocutoriarum eadem vis atq. effectus: quædam enim vim definitivæ habent, quædam non habent, quas vocant simplices. Vim definitivæ habere dicuntur, quæ præjudicium afferunt negotio principali, veluti cum talis sit interlocutoria, per quam finitur officium iudicis, videlicet cum iudex semet ipsum pronunciat incompetentem, tunc enim quoad ipsum lis est finita. *Bart. ad l. 9. C. de sent. vel cum iudex decernit quæstiones esse adhibendas. l. 2. ff. de app. recip.* Vel si jubet in arbitrariis quibusdam restitui vel exhiberi. *l. 18. ff. de dol. l. 14. §. 1. 4. ff. quod met. caus. §. 27. Inst. de act.*



## I V.

Causa efficiens sententiæ est iudex, qui haud ita facile definiiri potest Cujac. auctore in *parat. ff. de jud.* idque propter diversa iudicum genera, ut Idem ait *d. loco.* In genere posset describi, quod sit juris disceptator qui jurisdictioni præest, ad cognoscendas & iudicandas causas publica auctoritate constitutus. Quis iudicis partibus fungi possit, aut cuius qualitatis esse debeat, dicere hujus loci non est. illud nihilominus hic observasse operæ pretium erit, quod debeat esse competens. *l. ult. ff. de jurisd. l. 6. §. 10. ff. de inj. 2. irr. test.* est autem competens iudex, cui in isto loco quoad causam, vel personam est iurisdictio, vel notio *l. 5. ff. de rejud. l. 3. C. de jurisd.* Paulus *5. sen. 5. §. 1.* & si sententia ab incompetente iudice feratur est ipso jure nulla *l. 1. l. ult. C. si a non compet. jud. l. 81. ff. de jud.* remota omni appellatione. *l. 2. C. si a non comp. jud.* proinde iudex sive ordinarius sive delegatus rimari debet an sua sit iurisdictio, partesve ei subsint: cum extra territorium suum nemo iudicet, & in non subditum jus dicenti impune non pareatur. *l. ult. ff. de jurisd. l. 1. l. 3. C. eod.* atque hæc ita si iudex sit notorie incompetens. *d. l. ult.* utpote si iudex datus super causa proprietatis cognoscat de possessione *l. 3. C. si a non comp.* vel si iudex militibus datus de causa civili interpaganos iudicet vel contra *l. 2. C. eod. Perez. ad C. eod.* in dubio alioqui citatum venire, iudicem incompetentem allegare, & a sententia lata appellare oportet. *arg. l. 2. ff. si quis in ius voc. non ier.*

## V.

Si plures fuerint constituti iudices omnium tempore ferendæ sententiæ præsentia requiritur *l. 39. ff. de re jud. l. 4. C. quand. prov. non est nec.* quoniam omnibus est commissa causa cognoscenda & iudicanda. *d. l. 39.* & tunc demum iudicare universi iudices dicuntur cum omnes adsint, verba sunt Marcelli in *l. 37. ff. de re jud.* adeo ut uno absente reliquorum sententia sit nulla, licet absens simul consenserit in iudicando. *d. l. 4. Zas. ad l. 36. ff. de re jud. n. 7.* nam non



non ideo requiritur iudicum praesentia ut ferant sententiam, sed ut possent vel eorum praesentia vel oratione ceteros in suam sententiam trahere. *l. 17. §. ult. l. 18. ff. de recept. q. arbitr. Donell. add. l. 36.* quamvis non sit opus, ut omnes, si fuerint praesentes, consentiant: major enim pars hac in re vincit minorem. *l. 19. ff. ad municip.* unde si unus ex pluribus contrarium statuatur, stari reliquorum sententiae, nec attendi unius contradictionem Pomponius voluit in *l. 39. ff. de re jud. l. 27. §. 3. ff. de recept. q. arbitr. recept.* vel iudicare nolit jurando rem sibi non liquere, reliqui poterunt sententiam proferre, eamque executioni mandare ex sententia Pomponii in *l. 36. ff. de re jud.* Paulus auctor est. *Vide Gell. lib. 14. c. 2. in fin.* quoniam sufficit formae requisitae, quod omnes, qui iudicare sunt iussi, adhaerint, *d. l. 37. ff. de re jud. Perez. ad tit. C. de sentent. n. 15.*

## V I.

Quod si plures iudices dati, pares tamen numero, dissonas proferant sententias, quorum sententia potior habenda sit, quari posset? ego quidem hanc regulam cum Paulo in *l. 28. ff. de re jud.* ponendam puto, ut primo illa quae in liberalibus causis pro libertate militat, alteri praefertur; quoniam libertatis causa semper est favorabilis. *Zoes. ad tit. ff. de re jud. n. 22.* in aliis vero sive publicis, sive privatis illa, quae pro reo facit, praevalcat: ita ut semper rei minimae stetur. *d. l. 28. l. 110. ff. de reg. jur. Cujac. 12. observ. 16.* Cui non leviter obstare videtur *l. 28. ff. de re jud.* ubi si duo iudices diversas dederint sententias, utramque in pendenti esse Modestinus respondet, donec iudex competens unam earum confirmaverit. Sed ut Paulum cum Modestino conciliemus, cum Zasius ad *d. l. 28.* respondendum censeo in *obj. l.* agi de sententia lata a iudicibus datis sive extraordinariis, qui non habent propriam jurisdictionem, ita ut sententiae ab iis dictae confirmandae sint a iudice competente, qui eos dedit. *d. l. 28.* vero loquitur de iudicibus ordinariis, qui habent propriam jurisdictionem jure magistratus, inque iis lex aut constitu-



tio prævalere voluit eam, quæ pro reo est, ne frequenter ludificentur sententiæ. *Hann. ad Treuil. tom. 4. disp. 23. th. 2. ad l.c.* quam conciliationem Canones quoque approbant in *cap. ult. x. de sentent. & re jud.*

## V I I.

Et quamvis Paulus in *d. l. 38.* tantum de causa libertatis loquatur, nihil obstat quo minus ad alias favorabiles personas & causas extendi possit. *Zaf. ad d. l. 38. n. 1. & 2.* hinc si pars judicum pro testamento pars contra testamentum pronunciaverit, illud servandum, quod pro testamento est *l. 1. C. de S. S. eccles. Reipublicæ* enim interest suprema hominum judicia exitum habere *l. 5. ff. test. quemadm. aper. sic & in dubio pro dote respondendum scribit Paulus in l. 70. ff. de jur. dot. l. 85. ff. de reg. jur.* Idem & in causa fisci observandum, quoniam illa, cum publica sit semper nobis antiquior esse debet *arg. l. 35. ff. de re jud. Perez. ad tit. C. de sentent. n. 17.* nec quicquam repugnat quod Modestinus refert in *l. 10. ff. de jur. fisc.* quoniam, ut optime Duarenus animadvertit, Jctus illic non negat indubio pro fisco judicandum, sed solummodo ostendit, eum non esse puniendum tanquam delinquentem, qui in casu, ubi utraque opinio est probabilis, pro jure privati adversus fiscum respondet: adulatores enim malorum & avarorum principum illud grave crimen vocasse ostendit Plinius in panegyrico ad Trajanum, hisce verbis; *qua precipue tua gloria est sapius vincitur fiscus, cujus mala causa nunquam est, nisi sub bono principe.*

## V I I I.

In ferenda autem sententia varia judici observanda sunt requisita: debet enim formam judicandi legibus præscriptam diligenter servare, alioqui auctoritatem rei judicatæ sententia non obtinebit. *l. 4. C. de sentent.* quæ hæc est, ut lite contestata, probationibus auditis, & causa plene cognita pronuncietur *l. 23 §. 3. ff. quod met. caus.* & quidem inter eos ipsos, qui litem contestati, sive domini fuerint, sive procuratores *l. 1. C. de sentent. l. 9. ff. de dol. mal. & met. exc.*  
litem



litē enim contestando procuratores litium domini fiunt  
*l. 22. cum seq. C. de procur.* unde lite contestata cum procu-  
 ratoribus in personam dominorum lata non valet senten-  
 tia *d. l. 1. exceptis causis criminibus & matrimonialibus*;  
 in quibus sententia in ipsum dominum ferenda. *arg. l. ult. C.*  
*de injur. Manh. de jud. disput. 11. lib. 53.* quia minus commode  
 in istis ferri potest in personam procuratoris. *Zoes. ad tit.*  
*ff. de re jud. n. 99.* Item si pendente lite procurator, qui  
 litē contestatus erat, decesserit, non in hæredem ejus,  
 sed in ipsum dominum transfertur iudicium. *l. 57. ff. de jud.*  
 Et quod notandum, quamvis condemnatio fiat in procu-  
 ratorem, executio tamen in ipsum dominum dirigitur,  
 denegata contra procuratorem iudicati actione, nisi se liti  
 obtulerit, vel domino litis hæres extiterit, vel in rem  
 suam procurator factus sit; quia tunc pro domino habe-  
 tur. *l. 4. ff. de re jud.* At, quoniam non litium domini, sed  
 tantum ministri existunt nostri procuratores, ideo hodie in  
 ipsos litigatores verosque causarum dominos ferri solet sen-  
 tentia. *Azerul. prax. civ. lib. 4. tit. 88. n. 7. Busius ad l. 69. ff. de*  
*procur.*

I X. Illud quoque de forma est, ut ab ipso iudice feratur  
 sententia: non tamen quovis modo, sed servato ordine  
*l. 2. C. de sentent. ex peric. recit.* qui est ut concipiatur in scriptis  
 præcedente præviâ inquisitione, plenâque causæ cognitio-  
 ne *l. ult. C. comm. epist. l. 2. l. 3. C. de sent. ex peric. recit.* con-  
 cepta in tabellam, vel brevem chartam, quam pericu-  
 lum vocant, referatur: nisi lites sint breves, vel vilium  
 admodum personarum, vel rerum, vel nisi episcopus co-  
 gnoscat inter clericos; tunc enim absque forma & ritu  
 iudicii de plano discutere potest ob utilitatem rerum vel  
 personarum, nullaque actorum scriptura necessaria est.  
*l. 6. ff. de accus. Nov. 17. cap. 2. auth. nisi breves C. de sent. ex peric.*  
*recit.* & postquam in periculum redacta, partibus præle-  
 gatur *l. 1. C. eod. ne de eo*, quod iudicatum existat ulla  
 contentio: deinde ut ab ipso iudice pronuncietur locò



majorum consueto, sive publico. l. 6. C. de sentent. l. penult. in fin. ff. de j. & j. (personis tamen illustribus per suos officiales, sive ministros eam pronunciare permittitur l. 2. C. de sent. ex peric. recit.) sedente pro tribunali. Nov. 82. cap. 3. l. 2. §. 1. ff. quis ord. in poss. serv. Ratio, ut composita mente justum judicium proferat. Zoes. ad tit. ff. de re jud. n. 8. Nec refert quo sermone Græco an Latino. l. 12. C. de sent. quamquam jure veteri id tantum Latino fieri poterat l. 48. ff. de re jud. Vide Nov. 47. pr. & cap. 2. interdiu non vesperi l. 2. C. quom. & quand. jud. sed ante solem occasum, qui ex l. 12. tabb. suprema tempestas erat Gell. lib. 17. cap. 2. arg. l. 6. C. de sent. multo minus noctu l. 2. §. 31. ff. de orig. jur. die consueto, non feriato l. 3. C. de dilat. l. ult. C. l. 6. ff. de fer. l. 2. ff. de injus voc. nisi feriis humanis renunciaverint litigatores cum consensu judicis d. l. 6. l. 1. §. 1. eod. l. 36. ff. de. recept. arb.

## X.

Ad pronunciationis valorem etiam necessaria est partium utrimque præsentia. l. 47. ff. de re jud. l. 7. C. quom. & quand. jud. l. 27. §. 4. ff. de recept. arb. quo facit & illud legis 12. tab. præsentibus omnibus litem addicito. Lata enim absentibus partibus ipso jure est nulla sententia. l. 4. 5. 6. C. quom. & quand. jud. nisi a partibus præsentibus lis fuerit contestata & postea unus ob justam causam absuerit, eo casu sententia contra absentem lata subsistit, potest tamen absens, si læsus fuerit, ab illa appellare l. penult. & ult. eod. nisi per contumaciam fuerit absens l. 73. ff. de jud. Nov. 112. cap. 3. quoniam contumax beneficium appellandi perdit. l. 2. §. fin. ff. de appell. l. 1. C. quor. appell. non recip. ne lites immortales ac infinitæ permaneant, d. Nov. 112. cap. 3. in fin. Contumax autem dicitur is, qui tribus edictis propositis, vel uno pro tribus peremptorio ad judicium evocatus, copiam sui facere contempserit. l. 7. 8. & 9. C. quom. & qu. jud. l. 75. ff. de jud. l. 53. §. 1. ff. de re jud. Tria autem requiruntur edicta, quæ singula per intervallum non minus decem dierum proponenda, quibus propositis impetratur id, quod peremptorium vocatur. l. 68. 69. 70. ff. de jud. d. l. 53. §. 1. Edictorum ordine



ordine adversus contumacem observato, siquidem postea apparuerit, aditum judicalem non aliter ei revelare Justinianus sanxit, nisi resectis omnibus impensis, quas adversarius ob ejus frustrationem fecit *l. 15. C. de jud. & ibid. Bald.* Si vero non venerit citari debet absens: & si, sive responderit, sive non, agetur causa, & pronunciabitur, non utique secundum praesentem, sed interdum vel absens, si bonam causam habuit, vincet. *d. l. 73. ff. de jud.* Haec de vero contumace, qualis non potest dici morbo fontico impeditus. *l. 53. l. 60. ff. de re jud. dolo carens, vel alia justa & necessaria de causa absens l. 10. C. quom. & qu. jud. minor justa defensione, ac curatoris auxilio destitutus. l. 6. C. eod.* Si citatus reus ad aliud tribunal majus. *l. 54. §. 1. ff. de re jud.* More fori nostri sufficit partes semel ad totam litem citatas esse: adeoque in persona procuratoris sui praesentes esse intelliguntur. *Merul. lib. 4. dist. 4. sect. 5. tit. 2. adde Gail. 1. obs. 109. n. 1. & seqq.*

## X I.

Quae quidem pronuntiatio judicis, quantum fieri potest, debet esse certa. §. 32. *inst. de act.* Certa autem est sententia, cum ex ipsa pronuntiatione apparet, quid, quale, quantum sit id, ad quod reus condemnatur. *arg. l. 6. ff. de reb. cred. l. 74. ff. de V. O. Vult. ad d. §. 32.* quod si non appareat, merito placuit Imperatori Gordiano hujusmodi sententiam esse ipso jure nullam, nec rei judicatae auctoritate censerit. *l. penult. & ult. C. de sent. qua fin. cert. quant.* Ratio, quia sententiae finis est, ut lites sopiantur, etenim, cum ex conceptione sententiae non apparet quid, quale, quantum praestandum sit, tantum abest, ut tollatur controversia ut ea etiam augeri possit. *Vinn. ad §. 32. Inst. de act.* Certa non tantum est sententia, quae nominatim rem vel quantitatem exprimit, sed etiam quae continet relationem ad certum locum aut tempus, vel ad quantitatem antea determinatam, vel denique ad certum instrumentum, vel libellum obligationis. *d. l. penult.* quoniam talis relatio tantum operatur atque ipsa rei designatio. *l. 6. ff.*



*si cert. pet.* Verum enimvero hæc regula, *sententiam debere esse certam*, non est perpetua, quod & ipse Imperator Justinianus satis evidenter significat in *d. §. 32.* quando dicit, *judicem debere certam proferre sententiam quantum possibile est.* ac tunc quidem procul omni dubio fallit, si præstatio rei pendet ab arbitrio, & electione debitoris. *§. 33. Inst. de act.* veluti, cum res in genere. *l. 75. §. 1. ff. de R. O.* vel alternative in obligationem est deducta. *d. l. 75. §. 8.*

## XII.

Quod dictum certam judicem debere proferre sententiam, etiam tunc obtinet, cum de incerta quantitate fuerit actum, ut puta quando petitur id, quod interest: *l. ult. ff. si quis in jus voc.* quod generaliter sumptum denotat omne, quod ad nostram utilitatem pertinet. *l. 1. ff. de act. empt.* non tantum quoad accessiones, fructus & usuras, sed etiam quoad rem principaliter debitam *d. l. ult. junct. l. 2. in fin. ff. qui sat. cog.* Specialiter vero utilitatem extrinsecam, quam ex re ipsa, de qua contenditur, habuissimus, si nullum damnum emerisset, vel adversarius lucrum non intercepisset sua mora vel culpa, ita ut res principalis, vel ejus æstimatio non contineatur. *l. 11. §. 13. ff. de act. empt. l. 60. l. 70. ff. de evict.* Atque breviter concinnèque describit Paulus in *l. 13. ff. rem rat. hab.* quantum mihi abest, quantumque lucrari potui. Circa hujus interesse taxationem modum tradidit Justinianus in *l. un. C. de sentent. qua pro eo, quod inter.* aliterque in casibus certis, aliter in incertis æstimari voluit, illis certum modum præfigendo, hos arbitrio judicis relinquendo: casus autem certi sunt, qui habent certam quantitatem, vel naturam, id est, in quibus agitur principaliter de certa pecunia vel certæ rei corpore. *f. Borcholt in tract. de verb. obl. cap. 7. §. 8.* ut in venditionibus, locationibus, permutationibus, similibusque contractibus ultro citroque obligatoris: atque in his casibus certis judex non potest excedere duplum ejus quod in judicium est deductum *d. l. un. in quo duplo sim- plum*



plum inest, cujus decisionis rationem reddit *Hunn. ad Treutl. disput. 23. lb. 4. lit. f.* quod videlicet usuræ supra duplum non debentur, & sub duplo fors computatur, sic ut usuræ non amplius debentur cum sortem adæquaverint. *l. 10. l. 29. C. de usur.* Jam vero interesse cum usuris in plurimis convenit.

## X I I I.

Superest ut & de interesse in casibus incertis præstando nonnihil subjiciamus, quinam vero casus incerti sunt, colligi potest ex iis, quæ supra de casibus certis diximus: sunt autem, qui non habent certam æstimationem, quantitatem, vel naturam, quales sunt, præter stipulationes faciendi, obligationes mandati, tutelæ, negotiorum gestorum. *l. 13. §. ult. ff. de re jud. l. 8. §. 6. ff. mandati. l. 1. ff. de iur. & rat. distr. l. 2. ff. de negot. gest.* Item omnia fere interdicta, & omnia maleficia, quibus non certa pœna legibus præscribitur. *v. l. 21. ff. ad l. aquil. l. 1. §. 11. ff. unde vi. l. 48. pr. l. 6. 7. §. 1. ff. de furt.* Horum quantitas vel natura est incerta, ac proinde in his iudicis potestas non est restricta *l. 13. §. 1. ff. de act. empt.* sed ejus officium est per suam subtilitatem inquirere damnum quod datum est, & in hoc partem adversam condemnare: nec tantum damni emergentis rationem habere debet, sed & lucri intercepti. *Perez. ad tit. C. de sentent. qua pro eo, quod inter.* At, quoniam in his non semper apparet quanti cujusque inter sit, quia in facto consistunt, quod varium & incertum *l. 24. ff. de reg. jur.* & rei incertæ difficilis sit æstimatio, *Senec. 3. de ben. 6.* monet Imperator in *§. ult. Insti. de V. O.* optimum fore ut obligationi de faciendo subjiciatur stipulatio pœnalis, & ita actori necessitas probandi suum interesse evitetur.

## X I V.

Porro pura debet esse sententia non etiam sub conditione lata, quæ si adjecta fuerit pro non scripta habetur *l. 1. §. 5. ff. quand. appell.* & nisi ab ea appelletur, transibit in rem judicatam *Zoes. ad tit. ff. de re jud. n. 101.* debet & esse plena, id est, debet totam controversiam determi-



nare, non de parte litis pronunciari, nam si hoc fiat, ne quidem in ea parte, de qua pronunciatum, valet sententia, quia iudicium in partes scindi non potest, ita, ut eadem de re partim iudicetur, partim non iudicetur *l. 21. §. 1. 2. ff. de recept. arb. l. 27. ff. fam. ercisc.* nisi plura sint litis capita, tunc recte sententia de uno fertur altero emissio. *l. penult. C. eod.* Insuper debet esse libello conformis ac petitioni actoris saltem qualitate, hoc est, vel quoad rem, vel quoad causam, vel denique quoad actionem institutam *l. 18. ff. comm. divid. l. fin. C. de fideicom. lib.* ita ut iudex extra metas libelli iudicare & vagari non possit *d. l. 18.* unde sententia non potest dici libello difformis, ubi super non petitis condemnaverit, si sint de natura petitionum: ut puta super fructibus *l. 2. ff. de usur. & fruct. expensis l. 13. §. 6. C. de jud. & reliquis accessionibus l. 31. ff. de reb. cred.*

## X V.

Fructuum autem nomine id proprie & stricte venire intelligitur, quod ex corpore rei immediate percipitur & nascitur *l. 118. ff. de verb. sign. l. 12. ff. de conduct. caus. dat.* Hic vero latius sumpto vocabulo sub illis continentur omnia emolumenta, lucra & utilitates, quæ sumptibus justis deductis supersunt *l. 1. C. de fruct. & lit. exp. Schot. in exa. jur. ad d. tit. C.* Horum alii veniunt officio iudicis, alii petuntur jure actionis. Officio iudicis, qui veniunt peti non possunt, nisi sententia contineantur, quorum tamen omittio sententiam non vitiat, quamvis post eam actio non supersit, qua petantur. Neque enim cognoscit iudex nisi super iis, qui tempore iudicii accepti percepti, vel percipi potuerunt: *l. 2. C. de fruct.* quia post litem contestatam omnes indistincte in mala fide sumus *l. 25. §. 7. ff. de hered. pet.* ac proinde fructus tunc una cum re in iudicium deducti intelliguntur *l. 10. ff. de usur.* ita ut ex officio iudex in eos condemnare debeat: *l. 38. §. 1. ff. de rei vind.* Jure actionis veniunt petitiones rerum universalium: ut, petitio hæreditatis, atque in hac fructus ut petantur non est

ne-



necessarium, cum ipso jure augeant hæreditatem, *l. 40. §. 1. ff. de hered. pet.* & una cum ea petiti adjudicati ac restituenti censeantur. *d. l. 20. §. 2. cod.* Habenda autem ratio fructuum vel usque ad tempus sententiæ, vel ad diem solutionis: ad tempus sententiæ, si reus ante sententiam moram non fecerit. *l. 3. pr. & §. 1. ff. de usur. l. 33. ff. de rei vind. ad diem solutionis*, si ante sententiam in mora fuerit. *d. ll.* Usurarum vero rationem duntaxat usque ad sententiam habet iudex *l. 13. C. de usur.*

## X V I.

Debet & iudex super expensis tam ante quam post litem contestatam factis cognoscere, & licet petiti non fuerint, tamen victum victori in eas condemnare *arg. l. 13. §. 6. C. de jud. cui adstipulatur A. Matth. de jud. disp. 6. ib. 27.* nec tamen nulla est sententia, ubi iudex illud omiserit, & si postea victori nulla supersit actio ad illas consequendas *l. 3. C. de fruct. & lit. exp.* nefas enim esse inquit Imperatores in *d. l. 3.* ex uno iudicio alterum nasci: adeo, ut & a tali pronuntiatione appellari non possit, constituit Justinianus in *l. 10. C. quand. prov. non est nec.* Neque illud iniquum videri debet, cum ipse iudex hoc in casu eas parti læsæ refundere teneatur. *d. §. 6. l. 13.* Victum enim victori in expensas condemnari oportere constitutum est per *l. 4. C. de fruct. & lit. exp.* Idem confirmat noster Imperator in *Nov. 82. cap. 10.* modo victus non habeat justam, vel satis probabilem litigandi causam, quoniam illa condemnatio in expensas tantum est poena temeritatis & calumniæ *l. 79. ff. de jud.* successit hæc poena in locum decimæ litis, qua olim temerarii litigatores muldebantur *§. 1. inst. de poen. tem. litig.* verum quia id nupiam observatum referente Triboniano, abolita est illa sanctio & introductum ut adversario suo expensas litis inferat. *d. §. 1. l. 1. l. 4. C. de fruct. & lit. exp.* jure tamen novissimo jus vetus revocatum *Nov. 112. cap. 2. P. Voet ad d. §. 1.* quod si pro parte justa pro parte injusta fuerit causa, vel prorsus non, vel saltem non in omnes dampnandum esse victum



victum ratio docet. *Matth. de jud. disp. II. ib. 37.* Cessat  
 etiam condemnatio in expensas, cum ex consensu utriusque  
 que litigatoris causa iudicio disceptatur. *arg. d. Nov. 112. cap. 2.*  
*cum fideus succubuit. Cujac. in parat. C. de Sport.* cum  
 episcopus nomine rerum ecclesiasticarum *Nov. 123. cap. 28.*  
 cum tenuiores. *Nov. 17. cap. 3.* nec non illi, qui cum illis  
 litigarunt *l. ult. C. de fruct. & lit. exp.* item cum illi qui co-  
 gnatione, aut affinitate victori sunt juncti, succubuerunt  
 per *l. pen. ult. ff. de jur. dot.* denique unicus casus in iure da-  
 tur, quo victor ipsi victori in impensas damnatur, si vide-  
 licet absens ex contumacia causam obtinuerit *l. 13. §. 3. C. de jud.*

XVI.

Denique & illud iudicem observare oportet, ne aliter  
 iudicet, quam legibus constitutionibus, ac moribus pro-  
 ditum est. *pr. Inst. de off. jud. l. 13. C. de sent. & interloc. Nov. 126. cap. 1.*  
*cum sit legum minister non moderator. Perez. in erot. ad tit. Inst. de off. jud.* unde si contra leges expresse  
 sive in thesi, secus si tacite sive in hypothesi, sententiam  
 rulerit, ea est ipso iure nulla *l. 19. ff. de appell. l. 1. §. 2. l. 2. C. que sent. sin. app. resc. l. 2. C. quand. prov. non est nec.* Cujus  
 effectus est quod integra detur actio contra reum absolu-  
 tum: aliud obtinet, si per errorem contra jus partium  
 pronunciaverit, tunc enim standum rei iudicatae donec  
 appelletur. *l. 32. ff. de re jud.* quod si arguatur ejus imperi-  
 tia litem suam facere dicitur in §. 1. *Inst. de oblig. q. ex q. delict. l. 5. §. 4. ff. de obl. & act. l. ult. ff. de extraord. cogn.* nec licet ei  
 praetextu aequitatis a legum praescripto recedere *l. 1. C. de leg. l. 12. §. 1. ff. qui & a quib. man.* hoc enim esset non inter-  
 pretatione laxare leges, Sed correctione eas frangere. At-  
 tamen non prohibetur iudex obscurae legis verba aequitate  
 quadam flectere, ut veram legislatoris sententiam assequa-  
 tur *l. 8. C. de jud. l. 9. l. 9. ff. de reg. jur.* quin imo eam praee-  
 oculis habere iubetur in *l. 4. §. 1. ff. de eo, quod certi. loc. l. 18. ff. de leg.* atque in re omni aequitatis potius, quam stri-  
 cti juris rationem habere cogitur in *d. l. 8. Scriptum sequi*  
 ait



ait M. Tullius in orat. pro Cecinn. *calumniatoris est: boni judicis scriptoris voluntatem, auctoritatemque defendere.*

## X V I I I.

Sententiæ rite latæ primus effectus est, quod faciat jus inter eos, inter quos pronunciatum est: res enim judicata pro veritate habetur. *l. 25. ff. de stat. hom. l. 207. ff. de reg. jur. l. penult. ff. de j. & j. & quidem inter hos solos, (unde stricti juris esse putatur. Wesemb. ad tit. ff. de re jud. n. 8. v. Geil. 1. obs. 70. n. 15.) certe aliis, contra quos non est formatus processus, non præjudicat l. 63. ff. de re jud. l. 2. C. quib. res jud. non noc. facit & huc l. Modestini 10. ff. de except. etsi hoc scivissent, modo citati non sint. arg. d. l. 63. l. 47. ff. eod. Trentl. l. disput. vol. 2. disp. 23. th. 5. in not. ad l. e. nec interest causa sit civilis, an criminalis. l. penult. C. quib. res jud. non noc. l. 2. C. de fide instrum. unde contra debitorem si pronunciatum, non nocet creditori l. 3. ff. de pign. & hypoth. etiam si ejusdem generis sit negotium, quod ille habebat l. ult. C. quib. res jud. non noc. modo judicio non interfuerit, mandaverit, aut ratum habuerit. l. 1. l. 2. eod. est enim ipsius naturæ vel gentium juris ratio, ne alteri per alterum iniqua inferatur conditio. Bachov. ad Trentl. disput. vol. 2. disp. 23. th. 5. ad l. e. Hactenus tamen nocet ut ejus causa gravetur quodam præjudicio, propter quod ei appellare non licet l. 5. ff. de appell. excipe sententiam summi Imperatoris, quæ ad similes casus extenditur, quia omnibus iisdem hanc quasi legem dicere voluisse creditur §. 6. Inst. de jur. nat. gent. & civ. Zas. ad. d. l. 32. ff. de re jud. n. 3.*

## X I X.

Secundus effectus potissimum in eo consistit, quod libet finem imponat l. 1. l. 56. ff. de re jud. nec a iudice, qui eam tulit revocari, aut immutari possit l. 14. l. 62. ff. eod. l. 15. C. de pæn. Tacit. annal. lib. 3. pag. 168. Sed non Senatus, inquit, libertas ad poenitendum erat. quoniam iudex dictâ sententiâ desinit esse iudex. l. 42. l. 55. ff. de re jud. tot. tit. C. sen. resc. non poss. potest tamen intra spatium decem dierum ab ea ad iudicem superiorem appellari Nov. 23.



*Nov. 119. cap. 5. auth. hodie C. de appell. &*, si illud tempus elabi patiatur, statim confirmatur, & in rem judicatam transire dicitur: cujus tanta auctoritas, ut ei sine contradictione parendum sit. *l. 1. C. de re jud. l. 19. C. de transact. nec prætextu erroneæ computationis revocari potest l. 2. C. eod. licet stipulatio interposita, vel principis rescriptum intercesserit l. 3. C. sent. resc. non poss.* quin ito nec ea ratione, quod victus nova se instrumenta reperisse dicat quibus iniquitas sententiæ demonstrari potest. *l. 35. ff. de re jud. l. 4. C. eod. l. 12. ff. de bon. libert. nisi causa concernat rempublicam. d. l. 35. v. l. 3. C. de jur. reip. Duaren. ad d. l. 35. vel sententia antea contraria lata proferatur. l. 1. C. quand. prov. non est nec. vel instrumenta antea ab adversario fuerint suppressa, vel occultata arg. l. 19. C. de transact. Lauterb. ad tit. ff. de re jud. vel secundum juramentum necessarium fuerit pronunciatum: poterit tamen denuo, si ex instrumentis postea repertis contrarium pateat, causa agi & sacramenti falsitas ostendi *l. 4. C. eod. tot. tit. C. si ex fals. instrum.* Cujus & mentionem facit Cajus in *l. 31. ff. de jurejur.* vel posterius testamentum fuerit inventum, quo continetur mutata defuncti voluntas *arg. l. ult. C. de reb. cred. l. 3. ff. de transact.* idque favor ultimæ voluntatis exigit. *Perez. ad tit. C. de re jud. n. 4.**

## X X.

Tertius effectus est, quod reo vel actori ex sententia civili, vel criminali, quæ in rem judicatam transit, nascatur vel exceptio, vel actio. exceptio datur reo, pro quo judicatum est *arg. l. 9. l. 17. ff. de except. rei jud.* nam iniquissimum foret proficere ei reo exceptionem rei judicatæ contra quem pronunciatum est *l. 16. ff. eod.* datur & iis, qui pro hoc sunt surrogati *l. 28. C. de evict.* item omnibus successoribus non tantum universalibus, verum & singularibus: nam quæ venditori prodesse ceperat exceptio de fundo, quem possidebat, competet etiam emptori ex persona actoris *l. 9. §. ult. ff. de except. rei jud.* ut & hæredi, fidejussorique ejus *l. 21. §. fin. eod.* licet prior causa per procura-



curatorem sit acta l. 11. §. 7. eod. contra ipsum actorem qui victus est, five alios, quibus licuit rem in iudicium deducere l. 4. eod. Cujus ordinis est tutor, curator, actor municipum, procurator. d. l. 11. §. 7. modo non sit falsus procurator l. 25. §. ult. eod. l. 1. C. quib. res jud. non noc. datur & contra omnes ejus successores l. 28. ff. de exc. rei jud. l. 3. §. ult. ff. de pign. & hypoth. etiam contra tertium l. 63. ff. de re jud. modo novalis moveatur ex eadem causa. d. l. 11. §. 4. l. 14. ff. de exc. rei jud. inter easdem personas l. 3. l. 27. ff. eod. de eadem re five quaestione, quamvis aucta, aut diminuta, aut pro parte petatur l. 12. l. 13. l. 14. ff. eod. vel actionis species mutetur. l. 5. ff. eod.

## X X I.

Actio vero datur actori victenti, quæ est personalis, quia est ex quasi contractu l. 3. §. 11. ff. de pecul. civilis, quia ex l. 12. tabb. originem traxit. Trutl. disp. vol. 2. disp. 23. ib. 5. ad l. g. perpetua & semper rei persecutionem continens, licet prior actio super qua judicatum, fuerit temporalis aut pœnalis l. 6. §. 1. 2. 3. ff. de re jud. quoniam non origo iudicii, sed ipsa iudicati obligatio spectatur. d. §. 11. l. 3. l. 11. §. 1. ff. de novat. datur, uti dictum, reo victenti, ejusque hæredi d. l. 6. §. ult. item pupillo vel minori, cujus tutor, vel curator in causa eum concernente fuerit victor l. 2. C. de adm. tut. & quidem statim a lata sententia in actionibus in rem, & in iis quibus restitutio vel exhibitio rei petitur §. 2. Inst. de off. jud. quia ibi cessat ratio, quam Gell. lib. 20. cap. 1. expressit. In plerisque personalibus & in iis, quibus agitur ad pecuniam solvendam, humanitatis gratia legum conditores spatium aliquod temporis condemnatis indulgere: & quidem l. 12. tabb. 31. dierum dilatio data, teste Gell. d. loco. quod tempus posterioribus legibus duplicatum l. 31. ff. de re jud. àc tandem novissima Justiniani constitutione quadrimestre concessum l. fin. C. de usur. rei jud. §. 2. 3. Inst. de off. jud. Contra reum victum, & condemnatum, & si plures eadem sententia fuerint condemnati, non singuli in solidum sed pro virili portione conveniri



possunt *l. 1. l. 2. C. si plur. un. sent. l. 43. ff. de re jud.* nec unius inopia ceteros onerat, nisi res individua condemnationi sit comprehensa, vel id expressum sit ut ceteri præsent, quod ab aliis haberi nequit *d. l. 1. § 2.*

## X X I I.

Quod si lata sententia reus condemnatus solvere recuset, per executionem compellendus est, ut sic ad exitum res perducatur *l. penult. § ult. C. de exec. rei jud.* Executionem autem rei judicatæ describit Struv. *exerc. 44. th. 17.* actum judicarium, quo, ut id, quod per sententiam pronunciatum est, victori præstet victus, per judicem adigitur. *l. 15. ff. de re jud.* non per victorem, ne forte pars victa resistat, & ita detur occasio tumultuum. *l. 176. de reg. jur.* & quidem per judicem majorem, qui ipse sententiam tulit. *l. 4. ff. de jurisd. l. 2. l. 3. C. de exec. rei jud.* quare non per arbitrum, neque per judicem datum, sive pedaneum, sed per eum, qui eos dedit; executioni mandanda sententia, quia tantum habent nudam notionem, eaque peracta officio suo functi esse dicuntur in *l. 15. ff. de re jud.* Aliud dicendum de iudice a principe dato, qui cum & ipse jurisdictionem habeat, & pro ea alium iudicem dare possit, etiam sententiam tum suam, tum iudicis a se dati executioni mandare potest. *l. 5. C. de jud. Cujac. 12. obs. 1.* Et si executionis iudex ipse sententiam exequi non possit ex eo, quod bona, in quæ executio facienda in alieno territorio sita sunt per literas, quas requisitorias, seu mutui compassus vulgo appellant, a iudice illius territorii petet, ut is per suos apparitores sententiam a se latam executioni mandet *arg. l. 15. §. 1. ff. de jud. Nov. 134. cap. 5.*

## X X I I I.

Cæterum executio non fit uno modo; vel enim manu militari res possessori aufertur. *l. 68. ff. de rei vind.* vel capiuntur pignora. *l. 9. §. ult. ad l. Jul. pec.* Vel fit missio in possessionem bonorum *l. 1. pr. ff. quib. ex caus. in poss. eat.* Vel reus carceri mancipatur *d. l. 9. §. ult. l. 1. C. qui bon. ced. poss.* Per manum militarem fit executio, cum quis cer-

tum

tum corpus, remve certam in condemnationem deductam contumaciter restituere nolit, contendens se illud facere non posse. *d. l. 68. l. 3. ff. ne vis fiat ei.* Quod, si res perierit, vel inveniri non possit, pignoribus captis in ejudem rei æstimationem executio facienda est. *l. 7. C. de exec. rei jud.* Quis ordo in capiendis pignoribus observandus, pulcherrime nobis Ulpianus exponit in *l. 15. ff. de rei jud.* ac imprimis judicem curare oportere vult, ut pecunia numerata jure pignoris capiatur, quod & obtinet in pecunia pupillari, quæ est deposita. *d. l. 15. §. ult.* At si nulla existat pecunia res mobiles pignori capiantur, & si illa non sufficiant tunc in subsidium res immobiles. *d. l. 15. §. 2. l. 4. l. 5. C. de exec. rei jud.* Denique & his nondum sufficientibus ad nomina & jura. *d. l. 5. C. d. l. 15. §. 2. ff. Captis Chirographis, seu instrumentis obligationum arg. l. 1. C. de donat.* & si executor illum ordinem non observaverit, potest appellari *arg. l. 5. C. quor. appell. non recip.* Si vero executor observato illo ordine causa nondum cognita verum debitum exegerit illum revocari non posse Ulpianus auctor est in *l. ult. §. ult. ff. quod met. caus.* Quia cum debitor solvit, quod debet, nihil damni facit *l. 12. §. ult. l. 14. in pr. ff. eod.* Si tamen quid damni patiatur id resarciri æquitas postulat: Et ita in Frisia judicatum notat Joh. a Sande. *decif. Fris. lib. 1. tit. 11. defin. 2.*

## X X I V.

Captis pignoribus, antequam eorum fiat distractio judex summarie de rei proprietate cognoscet, audietque oppositiones eorum, qui contendunt rerum captarum dominium ad condemnatum non pertinere, idque sine præjudicio litigantium faciet, quare, si debitor adhuc alia bona habeat, illa capiet *l. 15. §. 4. ff. de rei jud.* Quin & illos, qui rem captam prius sibi pignori obligatam fuisse dicunt, audiet, sed postea, quoniam eorum intercessio non impedit distractionem, sed eo duntaxat spectat, ut ipsi cæteris creditoribus præferantur, & quod reliquum in causam judicati vertatur *d. l. 15. §. 5.* Capta autem pignora, si in-



tra duos menses iudicatio victus non satisfecerit, publice sub hasta venire, ac distrahi jubebit, eique, qui pluris licitabitur, addicet *l. 31. ff. de re jud. l. 50. ff. de evict. l. 3. C. de exec. rei jud.* Sive sit extraneus sive ipse victor *l. 2. C. si in caus. jud. pign. cap.* quod si plures idem offerant pretium, cognatus præfertur extraneo, cognato tamen victor *l. 16. ff. de reb. auct. jud. poss.* At, si nullus emptor existat, bona addicuntur creditori ea quantitate, quæ debetur *d. l. 15. §. 3.* Salvo jure utriusque si forte pluris vel minoris valeant. *Matth. de jud. disput. 13. th. 24.* Secus si creditor pignus in creditum sibi dari postulet, tunc enim, quod implius debetur, petere non potest: rationem addit JCtus in *d. §. 3.*

## X X V.

Sequitur ut videamus de missione in possessionem bonorum debitoris latitantis, aut contumacis per quam ob debitoris frustrationem auctoritate prætoris itur in bonorum possessionem. Atque hæc missio ex tribus præcipue fit causis: nimirum rei sive debiti servandi causa, legatorum aut fideicommissorum servandorum gratia, & ventris nomine. Damni enim infecti, si non caveatur, fit quidem missio, sed non in omnia bona, verum in eam duntaxat rem ex cujus ruina damnum metuitur *l. 1. in fin. ff. ex quib. caus. in poss. eat. l. 4. §. 1. ff. de damn. infect.* Rei servandæ causa missionem petere solent creditores, quibus ex quavis justa causa debetur *l. 20. ff. de verb. sign.* Sive debitum fuerit purum, sive conditionale, quatenus initium obligationis spectatur *l. 6. ff. de re jud.* Fit autem illa missio secundum interpretes duplici modo; vel ex primo, vel secundo decreto. Ex primo decreto mittuntur creditores in possessionem bonorum debitoris latitantis nec se per alium defendentis *l. 2. pr. & §. 1. ff. quib. ex caus. in poss. eat. l. 12. ff. cod. l. 15. §. 20. 21. & 30. ff. de damn. infect.* Sed si debitor tempore justo elapso adhuc latitet, nec creditori satisfaciat, fit missio ex secundo decreto, missusque consequitur



quitur potestatem possidendi tanquam dominus, ita ut fructus suos facere & bona ei distrahere liceat *l. 3. §. ult. ff. de acquir. poss. d. l. 2. & d. l. 12. l. 8. §. 1. ff. de reb. auct. jud. poss.*

X X V I.

Tandem si debitor solvendo non sit in carcerem conjici potest, ibique detineri præcedente judicis decreto *l. 1. in fin. C. qui bon. ced. poss.* Nec ultra carcerem procedi posse ad pœnam aliquam corporalem est extra dubitationis aleam positum. Quamquam lege 12 tab., si plures essent creditores, debitoris, qui non erat solvendo, corpus in partes secari, partiisque poterat, quam tamen pœnam propter nimiam immanitatem nunquam observatam fuisse tradit Gell. *l. 20. cap. 1.* Carceris hanc squallorem evitare possunt debitores beneficio l. Juliae, quo cessio omnium bonorum iis permessa est, *l. 4. C. eod.* non desunt, qui a carcere liberantur etiam sine bonorum cessione; quales sunt juris Antecessores, & Medicinæ professores *l. 6. C. de profess. & med.* Mulieres honeste viventes. *ant. sed hodie C. de exhib. reor. Nov. 134. cap. 9.* Item illi, qui beneficio competentiae gaudent, id est, qui non tenentur ultra id, quod facere possunt, habita ratione ne egeant *§. 37. Inst. de act. cujusmodi beneficium tribuitur parentibus l. 30. ff. de re jud.* Marito, & uxori respectu dotis dandæ vel restituendæ, vel cum maritus ex alio contractu ab uxore convenitur *l. 17. l. 20. ff. eod. l. 54. ff. sol. marr.* Socero utriusque *l. 15. §. 2. eod.* patrono ejusque liberis, & parentibus *d. l. 17.* Donatori, qui ex propria donatione convenitur *§. 38. Inst. de act.* Militi qui sub armata militia stipendia meret *l. 6. 18. ff. de re jud.* Filios familias, quando exhæredatus aut hæreditate se abstinet aut in parte minima institutus, item cum emancipatus, aut adoptatus est. *l. 2. & tot. tit. ff. quod cum eo, qui in al. potest.* Denique sociis, quia quodammodo inter se fratres sunt *l. 16. ff. de re jud. l. 63. ff. pro soc.* Moribus nostris nulla inter socios fraternitatis habetur ratio, sed sola spectatur rerum communio, conventique in solidum condemnantur. *Groenew. de ll. abr. ad d. l. 16.*



# COROLLARIA.

I.

*Negotiorum gestor tenetur de levissima culpa.*

II.

*Filiusfamilias non potest testari de irregulari peculio.*

III.

*Mater pupillariter substituere nequit.*

IV.

*Donatio omnium bonorum non potest revocari propter liberos postea natos.*

V.

*Fidejussor obligatus in majorem summam, quam reus principalis, tenetur in summam concurrentem.*

VI.

*Ususfructus cedendo extraneo amittitur.*

VII.

*Perfecta emptione, periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet.*

VIII.

*Emphyteusis est contractus juris gentium.*

F I N I S.